



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus IX. vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit maxima vnio
omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

At vero Verbum propter suam infinitatem de se, & intrinsicceita dispositum, ut ex vi sui naturalis modi essendi sine ulla additione, vel mutatione possit esse sub quacunque natura, quæ illi vniatur, & ideo sine nouo modo, vel relatione reali potest vniri.

Tertia obiectio ex parte totius compositionis. Tertium caput difficultatis sumitur ex parte totius compositionis, seu ex improportione, & infinita distantia rerum tam diuersarum, ut sunt Deus & creatura. Si enim ex substantia & qualitate non potest fieri vnum per se, quia genere distant, quo modo fiet ex Deo & creatura, inter quæ infinite maior distantia est? Sed hæc difficultas tacta est à D. Thoma. supra art. i. huius materiz, & inter explicandum eius literam sufficienter expeditur. Et ideo dicitur breuiter, distantiam in genere entis inter extrema non impedire vnionem eorum, si aliunde habeant sufficiens proportionem: inter Verbum autem & naturam humanam, est quidem aliqua proportio, non naturalis, sed obedientialis, seu non repugnantia. Quia in Verbo reperitur ratio substantiz, & in humanitate capacitas naturæ, & ideo maior est, proportio inter hæc extrema ad componendum vnum per se, quam inter substantiam, & qualitatem, quia licet in perfectione magis distent: tamen in ratione substantiz, atque adeo in ordine ad vnionem substantialem maiorem convenientiam habent.

Obiectio. Vnum vero superest circa hunc punctum difficile, quia ipsa realis distinctio Verbi & humanitatis videtur repugnare compositioni ex natura & substantia, quia hæc compositio tantum est ex re & modo: compositio autem quæ talis est etiam de potentia absoluta ex rebus distinctis fieri non potest. Quod ita explicatur, quia modus rei nunquam potest suppleri per aliquem actum, vel formam omnino realiter distinctam, quia hoc repugnat naturæ modi, ut inductione etiam collare potest, nam quia figura est modus quantitatis, impossibile est figuræ quantitatem per realitatem distinctam, & idem est de sessione respectu sedentis, & de similibus.

Responsio. Respondetur, in nostra sententia verum esse naturalem compositionem ex natura & substantia esse tanquam ex re & modo. Negatur autem inde fieri non potuisse in hoc mysterio ex rebus omnino distinctis confluere vnam personam compositam per veram & ineffabilem compositionem ex natura & supposito, quia licet hæc vnio in hac generali ratione conueniat cum naturali compositione ex natura & substantia, non est tamen eiusdem rationis & modi, ut in præcedenti sectione dictum est, & nunc amplius explicabitur. Ad aliam enim partem, in qua sumitur, modum rei nunquam posse suppleri per entitatem omnino distinctam; responderetur in primis non esse eandem rationem de substantia, & de aliis imperfectis modis, quales sunt illi qui in argumento sumuntur, quia substantia dicit perfectionem simpliciter, quæ formaliter in Deo est; ita ut ipsa personalis substantia Verbi sit per se ens perfectissimū, & ipsa persona quæ subsistit: unde fit ut possit per se ipsam vniri naturæ creatæ, & illam in se sustinere. Alij vero modi semper adherent alicui entitati, quam consequuntur, & ideo effectus, vel quasi effectus eorum formalis, non potest fieri per distinctam realitatem. Secundo potest dari, modum non expelli formaliter nisi per modum, vel per priuationem, & ita in præsentis mysterio modus per se essendi, quem deberet habere humanitas Christi, non expellitur formaliter per Verbum: sed per modum adhesionis, vel vnionis, quem humanitas illa habet in Verbo, ut iam dictum est. Similiter verum est, modum non posse suppleri per rem distinctam ita, ut maneat effectus, vel quasi effectus modi omnino eiusdem rationis: si autem diuersa ratione fiat, potest suppleri, ut in proposito humanitas sibi relicta realiter per se, & in se subsisteret; nunc autem ita subsistit, ut sit in alio, scilicet Verbo, cumque suo modo

Fr. Suarez, Tom. i.

Obiectio. componit vnam personam, & ita nunc habet illa humanitas modum omnino diuersum ab eo, quem haberet separata, inter quos modos est differentia, quod ille, qui est connaturalis, scilicet personalitatis propriæ, est omnino absolutus, & quasi in se manens: ille autem, quem tunc habet est veluti respectiuus, & innitens alteri rei distinctæ, scilicet Verbo, & inde fit, quod naturalis compositio ex natura & personaliitate propria tantum est ex re & modo, compositio autem, quæ nunc est in persona Christi, potuit esse ex rebus distinctis medio illo modo, quo aliter se habet nunc humanitas. Neque oportet compositionem hanc esse omnino similem compositioni naturali in distinctione, vel qualitate componentium; sed in hoc solum quod ex ea resultat quiddam incommutabiliter subsistens in tali natura. Aliquale exemplum est in accidente, v.g. in quantitate dum inheret, habet modum proprium in re distincta, scilicet substantia, cum qua vnum componit; tamen separata habet alium modum in se existendi sine actuali inhereantia ad rem distinctam.

Dices ergo nunc humanitas Christi non subsistit proprie, quia non est in se sed in alio. Respondetur, non subsistere tanquam id quod subsistit, sed proprie Verbum in illa subsistit, & illa dicitur in Verbo subsistere, quia illius substantia terminatur, & quasi sustentatur.

ARTICVLVS IX.

Virum vnio duarum naturarum in Christo sit maxima vnio.

Obiectio. A nonum sic proceditur. Videtur, quod vnio duarum naturarum in Christo non sit maxima vnio. Vnitum enim deficit in ratione unitatis ab eo, quod est vnum, eo quod vnitum dicitur per participationem; vnum autem per essentiam: Sed in rebus creatis aliquid dicitur simpliciter esse vnum: sicut patet de unitate ipsa, quia est principium numeri. Ergo huiusmodi vnio, de qua loquimur, non importat maximam unitatem.

Responsio. 2. Præterea, Quanto ea, quæ vniuntur, magis distant: tanto minor est vnio: Sed ea quæ secundum hanc vnionem vniuntur, maxime distant, scilicet natura diuina & humana distant enim in infinitum. Ergo huiusmodi est minima vnio.

Responsio. 3. Præterea, Per vnionem fit aliquid vnum: Sed ex vnione animæ & corporis in nobis fit aliquid vnum in persona & naturæ; ex vnione autem diuinæ & humane nature fit aliquid vnum solum in persona. Ergo maior est vnio animæ ad corpus, quam diuinæ nature ad humanam: Et sic vnio de qua loquimur, non importat maximam unitatem.

Responsio. Sed contra est, quod Augustinus dicit primo de Trin. quod Lib. i. c. 10. homo potius est in Filio Dei, quam Filius in Patre: Filius autem ante medium est in Patre per unitatem essentia, homo vero est in Filio per vnionem incarnationis. Ergo maior est vnio incarnationis, quam vnitas diuinæ essentia, quæ tamen est maxima vnio. Et sic per consequens vnio incarnationis importat maximam unitatem.

Responsio. b Respondeo dicendum, quod vnio importat coniunctionem aliquorum in aliquo vno. Potest ergo vnio incarnationis dupliciter accipi. Vno modo, ex parte eorum, quæ coniunguntur, Alio modo ex parte eius, in quo coniunguntur. Et ex hac parte, huiusmodi vnio habet preeminentiam inter alias vniones: nam vnitas persone diuinæ, in qua vniuntur due nature, est maxima. Non autem habet preeminentiam ex parte eorum, quæ coniunguntur.

Responsio. c Ad primum ergo dicendum, quod vnitas diuinæ persone est maior, quam vnitas numeralis, quæ scilicet est principium numeri. Nam vnitas diuinæ persone, est vnitas in

ras increata, per se subsistens, non recepta in aliquo per participationem. Est etiam in se completa, habens in se quicquid pertinet ad rationem unitatis: & ideo non competit sibi ratio partis, sicut unitati numerali, quæ est pars numeri. & quæ participatur in rebus numeratis. Et ideo quantum ad hoc, vnio incarnationis præminet unitati numerali, ratione scilicet unitatis diuine persone, non autem ratione naturæ humanæ, quæ non est ipsa vnitas diuine persone, sed est ei unita.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit ex parte coniunctorum, non autem ex parte persone, in qua est facta vnio.

e Ad tertium dicendum, quod vnitas diuine persone est maior vnitas, quam sit vnitas, & persone & natura in nobis. Et ideo vnio incarnationis est maior quam vnio anime & corporis in nobis.

f Quia vero illud quod in contrarium obiicitur, falsum supponit, scilicet, quod maior sit vnio incarnationis quam vnitas personarum diuinarum in essentia: dicendum est ad auctoritatem Augustini, quod humana natura non est magis in Filio Dei, quam Filius Dei in Patre, sed multo minus: Sed ipse homo quantum ad aliquid, est in Filio magis, quam Filius in Patre: in quantum scilicet, idem supponitur in hoc, quod dico homo, prout sumitur pro Christo, & in hoc quod dico, Filius Dei: non autem est idem suppositum Patris & Filij.

Positam in
arg. sed con-
tra.

COMMENTARIUS.

Questio hæc non videtur propriè intelligi posse de relatione vnionis, quia nõ potest in illam conuenire, vt maxima sit, nisi fortasse dicatur maxima, id est, maxime perfecta inter relationes vnionis, quod licet verum quidem sit, non tamen videtur hic propriè illorum verborum sensus, & ideo Caietanus exponit hic sumi vnionem pro ipsa coniunctione substantiali, quod videtur consentaneum D. Thom. quia licet in præcedentibus articulis vnionem tantum pro relatione sumperit: in principio tamen præsentis articuli declarat vnionem significare coniunctionem. Vel ad æquiuocationem vitandam dici posset, D. Thomam mouere quidem questionem de relatione, non tamen ratione ipsius, sed ratione fundamenti. Nam quod relatio vnionis, vel unitatis, aut similitudinis sit maior vel minor, tantum potest illic conuenire ratione fundamenti, & sic res eodem reuoluitur, licet verba sint diuersa. Dicitur autem maxima vnio, quantum ex corpore articuli, & solutione ad primū licet colligere, illa quæ ad unitatem maximam terminatur, est enim vnio quasi via quædam tendens ad unitatem, seu modus ex quo aliqua vnitas resultat, & ideo formaliter ac propriè maxima erit vnio illa, qua maxime vnum fit. Obseruare autem oportet variis modis aliqua posse vniri, primo inter se & immediate. Secundo, in aliquo tertio resultante ex illis, sicut anima & corpus dicuntur vel inter se vniri, vel in humanitate, quæ ex eis resultat, vnde hi duo modi in eundem coincidunt.

Vnio maxi-
ma qua.

Aliter vero possunt duo aliqua vniri, non inter se immediate, sed in aliquo tertio, vt duo rami eiusdem arboris in tranco. In Christo ergo omnes hi modi vnionum considerari possunt. Vniuntur enim proximè inter se Verbum & humanitas, & ex eis resultat hic homo, in quo etiam illa duo extrema vniuntur. Dux etiam naturæ diuinitas & humanitas copulantur in subsistentia Verbi, tanquam in termino aliquo modo ab eis distincto, realiter scilicet ab humanitate, & ratione à diuinitate. Et hoc vltimo modo considerauit D. Thom. hanc coniunctionem in hoc articulo, vt ex titulo & ex corpore satis constat. Obiter tamen omnia definit, quia non potest vnus modus vnionis sine alio in Christo explicari, vt ex dicendis patebit.

A b Non videtur D. Thomas absolute respondere questioni, sed sub distinctione. Coniunctio enim, inquit, durum in aliquo vno considerari potest, vel ex parte eorum quæ vniuntur, vel ex parte eius in quo vniuntur. Et deinde addit, hanc vnionem esse maximam ex parte personarum, in qua dux naturæ vniuntur, quia illa persona est maxime vna. Vbi licet obiter notare, considerare Diu. Thomam illam personam, vt est veluti quoddam tertium, in quo dux naturæ vniuntur, sic enim illa est simplicissima, & maxime vna: non vero loqui de illa persona, vt est composita resultans ex vnione, sic enim non est maxime vna. Et licet inter personas compositas fortasse sit maxime vna, vt infra explicabitur; tamen hoc Diuus Thomas non assumeret, vt per se notum sine explicatione, vel probatione. At vero ex parte ipsarum naturarum dicit D. Thom. hanc vnionem non esse maximam, quod sine probatione relinquit, vt per se notum, quia illæ naturæ sunt inter se valde distinctæ, & vt naturæ sunt, non vniuntur inter se. Propter quod idem Diuus Thomas in 3. distinctione 5. quæst. 1. artic. 1. quæstioneula 2. dicit, inter naturas, vt sic, non solum nõ esse maximam vnionem; sed neque vnionem esse, quia vt sic, non componunt aliquid, sed potius maxime inter se distant, vt hic etiam ad secundum dicitur.

D. Thom.

Sed obiicitur contra distinctionem, & responsionem D. Tho. quia vt vnio duorum in tertio sit maxima aliquo modo, non satis est illud tertium in se esse maxime vnum, sed oportet vltius considerare modum coniunctionis, quod D. Thom. facere omisit, & ideo insufficiens distinctio videtur, & nõ recte collegisse, aliàs eodem modo posset colligere tantam esse vnionem duarum naturarum in vna persona Verbi, quanta est vnio trium personarum in vna natura, quia tanta est vnitas illius persone, in qua sit vnio duarum naturarum, quanta est vnitas essentiarum, in qua vniuntur tres personæ. Et similiter vnio iustorum omnium per gratiam, vel per affectum, quo in Deo vniuntur, esset maxima, quia Deus in quo vniuntur, est maxime vnus. Recte ergo potest aliquid in se esse maxime vnum: & tamen non maxime vnire ea, quæ in ipso vniuntur.

Obiicitur.

Respondetur ex Caietano, sensum distinctionis dictæ non esse, quem obiectio indicat, scilicet vnionem posse considerari, vel ex parte extremorum quæ vniuntur, vel ex parte eius in quo vniuntur secundum se, & prout in se vnum est; nam hoc non est satis ad colligendam vnionem extremorum, vt recte probat obiectio: sed sensus est, debere hæc considerari, prout concurrunt ad vnionem & coniunctionem, ita vt considerare vnionem ex parte extremorum sit considerare illa, nõ prout in se talia sunt, sed prout apta sunt coniungi, & actu coniunguntur. Et similiter illud vnum, in quo coniunguntur, non solum debet considerari, prout in se vnum est: sed prout coniungit & copulat extrema. Et quamuis D. Thomas non hæc omnia ita apertè distinxerit: tamen iuxta subiectam materiam ea subintelligenda putauit. Supponit enim qualitatem, & naturam huius vnionis superioribus articulis explicatam, quibus ostensum est, illam esse substantialem ac personalem ex duabus naturis in quadam simplicissima subsistentia. Supposito enim hoc genere vnionis recte colligit Diuus Thomas coniunctionem illarum naturarum inter se, quatenus, scilicet, immediate inter se comparari possunt, sic (inquam) vnionem non esse maximam, imo nec propriè esse vnionem, quia ex illis vt sic, nihil vnum componitur, sicut ex materia & forma componitur vna natura, quod notauit idem D. Thomas in 3. distinct. 5. quæst. 1. art. 1. quæstioneula 2. Colligit subinde idem Diu. Thomas hic ex maxima vnitate illius persone, in qua illæ naturæ vniuntur, vnionem ipsarum in tali persona esse maximam, quia cum altera natura non solum vnitur, sed

Respon.

sed

sed etiam omnino idem est: cum altera vero intime & substantialiter vnitur. Quæ omnia ex dicendis in sequenti disputatione melius intelligentur.

c Argumentum primum ad formam redactum tale est. Hæc vnio non refert maximam vnitatem, ergo non est maxima vnio. Antecedens patet, quia magis vnum est quod per se est vnum ratione suæ vnitatis, quam quod est vnum ex eo solum, quod multa in illo coniuncta sunt, quia esse vnitum deficit à ratione vnus. Quia vnitum dicitur per participationem: vnum vero per se, & quasi per essentiam, sed in rebus creatis est aliquid per se vnum, scilicet ipsa vnitatis, quæ est principium numeri, ergo Diuus Thomas in solutione videtur in forma distinguere primum antecedens, ex parte enim humanæ naturæ concedit hanc vniionem non esse maximam nec superare vnitatem numeralem. Quia humana natura non est, inquit, vnitatis diuinæ personæ: sed est ei vnita, ex parte autem personæ Verbi dicit hanc vniionem esse maximam, quia diuina persona est simplicissima, & multo magis per se vna, quam sit ipsa vnitatis, quæ quidem est principium & caput totius numeri.

Sed hæc responsio videtur incidere in difficultatem actam circa literam corporis articuli, non enim satis est, vt ipsa persona in qua sit vnio sit maxime vna, sed ulterius oportet, vt coniunctio in illa sit maxima, atq; adeo vt id, quod resultat ex tali coniunctione, sit maxime vnum. Hoc autem in proposito non est persona simplicissima, vt sic, & vt per se vna, sed vt composita, & solum vna, quatenus in ea multa vnita sunt. Vnde mihi concedendum videtur, non solum vnitatem personæ Verbi secundum se, & vt simplicissima est, esse maiorem vnitatem numeralem, sed etiam vnitatem personæ compositæ Christi Dei & hominis resultantem ex vniione, esse maiorem vnitatem numeralem. Nec existimare possum D. Thom. hoc voluisse negare, sed solum designasse primam rationem & causam excellentiæ huius vniionis, quæ ex simplicissima Verbi vnitatis, & non ex humanæ naturæ conditione sumenda est.

Hoc autem, quod dicimus, verum esse, præter ea quæ sequenti disputatione dicemus, facile ostendi potest. Quia sicut hæc vnitatis Christi resultat ex rebus distinctis vnitatis, & non est per se omnino simplex, ita vnitatis quæ est principium numeri, ex partibus continui vnitatis resultat, hanc enim vocamus vnitatem, quæ est principium numeri, non est ergo omnino simplex, neque in hoc excedit hanc vniionem, vel vnitatem Christi: aliunde vero hæc vnio in multis superat, quia est substantialis, & altioris ordinis, & sic in re vel cum re simplicissima per intimam coniunctionem sine vilo medio.

Obiicit. Quod si virgeatur argumentum in vnitatem transcendentali puncti, verbi gratia, vel alterius rei simplicis. Respondetur, illam non esse vnitatem resultantem ex vniione: sed (vt ita dicam) ex simplici identitate: hic autem loquimur de vniione, & de vnitatis, quæ ex illa resultat, & hanc dicimus superare omnes vniiones, atq; adeo omnes vnitates ex vniionibus resultantes, non vero ipsam identitatem, seu vnitatem rei simplicis.

d Secundum argumentum D. Thomæ est, Inter ea, quæ maxime distant, non est maxima vnio, sed natura diuina & humana maxime distant, ergo. Cui argumento solum respondet Diuus Thomas probare quidem ex parte naturarum, quæ vniuntur, non esse vniionem maximam, non vero ex parte personarum, in qua vniuntur. Sed contra, nam de ipsa diuina persona, & natura humana potest fieri idem argumentum: quia etiam illa inter se maxime distant, ergo vnio inter illa non est maxima, etiam si vnitatis ipsius personæ secundum se maxima sit. Respondetur distinguendo illam argumenti propositionem, Quam maxime distant, non maxime vniuntur. Si enim

Fr. Suarez Tom. 1.

fit sermo de sola distantia in perfectione, seu in genere entis, falsa est. Potest enim Deus huiusmodi res ita distantes, quæ aliunde inter se habent proportionem, vel non repugnantiam, maximo quodam vinculo copulare, vt in fine disputationis præcedentis, & supra questione prima articulo primo dicebamus. Si autem sit sermo de distantia non tantum in perfectione, sed etiam in proportionem, seu (vt ita dicam) in ratione vniibilium, sic admitti potest illa propositio, & in eodem sensu verum est naturas diuinam & humanam, vt naturæ sunt, maxime distare, quia vt sic omnino improporionate sunt, vt ex eis fiat vnum. Et in hoc sensu procedit solutio D. Thomæ: hoc autem modo natura humana, & persona Verbi non maxime distant, quia licet in perfectione distent, quandam tamen proportionem seruant quasi actus, & potentie, seu termini, & terminabilis, & ideo hæc possunt inter se maxime vniiri.

e Tertium argumentum sumitur ex vniione animæ & corporis, quæ videtur maior, quia ex illa resultat non tantum vna persona, sed etiam vna natura. Solutio autem est, solum inde probari terminum illius vniionis esse pluribus modis vnum, non vero esse magis vnum. Vbi considerare oportet in homine aliam esse naturæ vnitatem, & aliam personæ propriæ & creatæ: hæc namque vnitates ita distinctæ sunt, vt vna sit separabilis ab alia, vt in Christi humanitate videre licet. Ibi enim reperitur vnitatis naturæ humanæ sine vnitatis personæ creatæ. Et hinc aperte colligitur, quando ex anima & corpore resultat homo vnus in natura & in persona, licet in specie videatur esse vna vnio, re tamen vera esse duas, quarum altera est inter partes naturæ, vt sic, quæ inter se conueniunt & componendam vnam naturam, quæ vnio inuenta est inter animam & corpus Christi Domini, altera vero est totius naturæ cum sua subsistentia, vel fortasse etiam singularum partium essentialium cum suis partialibus subsistentiis. Vnde recte intelligitur, hanc compositionem, seu vnitatem hominis extensivæ (vt ita dicam) excedere hanc vniionem incarnationis, quia hæc est tantum vna, illæ vero sunt duæ, & hoc est quod D. Thomas dixit, illud esse pluribus modis vnum. Hoc tamen non obstant fieri potest, vt illa vnica incarnationis vnio intensivæ sit maior quacunque alia. Quomodo autem hoc verum sit, tractabitur in disputatione sequenti.

f Vltimo tandem in argumento, Sed contra, & solutione eius comparat Diuus Thomas hanc vniionem cum vniione trium personarum in diuina essentia, & dicit hanc posteriorem esse longe maiorem, quod per se euidenter est, quin potius dicendum videretur, comparisonem esse impropriam, & abusivam, quia illa Trinitatis, non est vnio: sed vnitatis & identitas. Vnde licet absolute diceremus hanc vniionem incarnationis esse maximam, hoc non esset contra supremam coniunctionem trium personarum in vna essentia, quia licet illa reuera sit maior, non tamen vnio sed vnitatis est.

Obiicit tamen Diuus Thomas Augustino libr. 1. de Trinit. cap. 10. dicente, hominem potius esse in Filio, quam Filium in Patre. Et respondet, si hoc dictum de humanitate intelligatur, falsum esse, quia magis est Filius in Patre, quam humanitas in Filio, hic enim est in Patre simplicissimo modo per vnitatem essentiae, humanitas autem in Filio solum per vniionem, & compositionem. Si autem hoc dictum intelligatur de hoc homine, illud est verum ratione suppositi, nam hic homo dicit personam Filij, qui magis in seipso est, quam in Patre. Vbi primum circa rem ipsam oportet hinc colligere, quod licet vnitatis, per quam Filius est in Patre, sit maxima quædam, & simplicissima vnitatis, est enim vnitatis ipsius essentiae diuinæ, quatenus in re omnino est idem

V 3

cum

Vnitatis ut sic
distinctionem
excludit.

Quomodo re
latus in diui
nis magis sit
idem sibi ip
si, quam ef
fentia.

Dictum Au
gustini.

cum personis, nihilominus vnitas, per quam perso-
na diuina intelligitur esse in se ipsa, vel potius idem
sibi, censetur maior, vnitas enim ex propria ratione
vnitatis excludit distinctionem, & si simplicissima
sit, excludit compositionem, qua ratione igitur vni-
tas essentia diuina simplicissima est; nulla potest ef-
fentia admittit distinctionem ipsarum personarum
inter se, ex hac parte vnitas vniuersusque personarum
ad seipsam est maior, quia nullam in ipsa persona ad-
mittit distinctionem respectu sui ipsius, & hoc mo-
do dicitur vna persona diuina magis esse in se, quam
in alia, ad quem modum dici etiam potest, vnam
quamque relationem magis esse idem sibi ipsi quam
essentia, non quia in re ipsa aliquo modo distingua-
tur ab essentia, sed quia non ita adæquatè est idem il-
li sicut sibi ipsi, ita enim est idem sibi, vt non possit
distingui ab aliquo, quod cum ipsa met identifice-
tur, ita vero est idem essentia: vt tamen possit realiter
distingui ab alia persona, quæ identifice-
tur cum ef-
fentia. Deinde quoad mentem August. obseruari
potest, videri potius ipsum loqui de humanitate,
quam de homine, sic enim ait: Cum filius sit Deus &
homo, alia substantia Deus, alia substantia homo. & sub-
dit, Homo potius in Filio, quam Filius in Patre, videtur i-
gitur loqui de natura ipsa, nam si de supposito lo-
queretur, falso diceret, Alia substantia Deus, & alia sub-
stantia homo. Quod si admittatur hic sensus, adhuc
exponi posset humanitatem dici potius esse in Filio,
quam Filium in Patre, non propter maiorem, nec e-
qualem vnitatem: sed quia humanitas quodam mo-
do immediatius est in Filio, & cum illo compositum
vnum hominem: Filius autem est in Patre tantum ra-
tione naturæ, vnde ex vnione eorum inter se non
resultat aliquid vnum, sed solum ex vnione, quam
habent cum natura, & ad hoc videtur tendere ex-
emplum, quod statim subdit August. scilicet, quod
anima mea magis videtur esse vna cum anima alte-
rius, quam cum corpore meo, & tamen magis est in
corpore meo quam in anima alterius. Recte tamen
& fortasse melius exponitur August. cum D. Thom.
vt de persona huius hominis, & Filij loquatur; cum
autem dicit, Alia substantia Deus, alia substantia homo,
sensus est, quod licet idem sit Deus, & homo, alte-
rius tamen essentia sit, in quantum Deus, & alterius,
in quantum homo, sicut licet caro, & anima sint vna
persona, tamen alia substantia est anima, & alia cor-
pus, tamen quia vnus, & idem Filius, est vtriusque
substantia humanæ, & diuinæ, ideo homo dicitur
magis esse in Filio, quam Filius in Patre.

DISPUTATIO IX.

In duas Sectiones distributa.

De excellentia, & perfectione huius vnionis, quæ est
Incarnatio.

Post explicatam essentiam, seu quiddi-
tatem huius vnionis conuenienti or-
dine sequitur, vt gradum perfectionis
explicemus, quod dupliciter fieri po-
test. Primo considerando formaliter
perfectionem vnionis in ratione vnionis. Alio mo-
do considerando perfectionem huius vnionis in ge-
nere entis, vel in perfectione gratia, recte enim fieri
potest, vt vnio sit imperfecta in genere entis, quia ex
imperfectis rebus sit, & quod ex illa resultat, est im-
perfectum ens, & tamen, quod in genere vnionis sit
perfecta, quia videlicet perfecte vnit extrema, ita vt
vnum per se, ac perfecte componat, quomodo vnio,
verbi gratia, inter materiam, & formam celi in ge-
nere entis minus perfecta est, quam vnio anime rati-
onalis, & corporis, quamuis in genere vnionis perfe-
ctior sit, & idem è conuerso accidere potest, & inter-

rum etiam potest vnio vtroque modo esse perfectior,
vel minus perfecta, vt facile potest exemplis demon-
strari. Vtrumque igitur de hac vnione sigillatim, ac
breuiter inquirendum est.

SECTIO I.

Vtrum hac vnio in ratione vnionis sit omnium ma-
xima.

Loquemur in hoc dubio de vnione, quæ proxi-
me sit inter humanitatem, & substantiam Ver-
bi, nam illa cognita, & perfectione eius, facile con-
stabit, quid de vnione duarum naturarum in vna
persona dicendum sit. Durandus ergo in 3. distinct. Durand.
5. quæstione 3. negat hanc vnionem esse maximam,
putat enim vnionem materiz, & formæ, seu ani-
mæ, & corporis esse maiorem. Primo, quia maior
est vnitas essentia, quam vnitas personæ, ex materia
autem, & forma fit vna essentia, non autem ex Ver-
bo, & humanitate. Secundo, quia materia, & for-
ma ita vniuntur, vt non possint separari salua vtri-
usque consuetudine, Verbum autem, & humanitas
ita vniuntur, vt etiam si separarentur, optime possint
consistere. Tercio addi potest materiam, & for-
mam naturæ suæ coaptari per modum actus, & po-
tentia, & ideo maiorem habere proportionem, vt
intimus, ac perfectius vniri possint, quam Ver-
bum, ad humanitatem. Quarto denique ex mate-
ria, & forma, seu anima, & corpore resultat duplex
vnio, naturæ & personæ, quæ non solum extensue,
sed etiam intensue videntur excedere, tum ex parte
vnitatis essentia propter dicta, tum ex parte vnitatis
personæ creatæ, quæ inde resultat, cum enim illa nō
componatur ex rebus distinctis, sicut persona Chri-
sti vt humana, sed tantum ex re & modo, videtur ef-
fe magis vna, ergo omni ratione illa vnio videtur
maior.

Nihilominus dicendum est eum communi sen-
tentia, hanc vnionem esse maximam formaliter, &
in ratione vnionis, intelligendum vero est compa-
rationem fieri inter proprias vniones, seu composi-
tiones ex rebus realiter distinctis, quod inferius ex-
plicabitur. Hanc vero sententiam docuit D. Thom.
hic, & clarius in 3. d. 5. q. 1. art. 3. q. 2. quem ibi sequi-
tur Palud. q. 3. art. 3. Capreol. q. 1. conc. 3. & in illius
defensione. In eandem inclinat Scot. d. 6. q. 1. ad ar-
gumenta, & Bonau. q. vlt. qui tamen variis vtitur di-
stinctionibus, & multum cōfundit comparisonem
in dignitate, & in vinculo vnionis, clarius id docuit
Alens 3. p. q. 7. num. 2. art. 3. & Mar. in 3. q. 2. art. 1. con-
clus. 4. clarius q. 3. artic. 2. p. 4. vbi tamen non bene
explicat D. Thom. sententiam. Citatur pro hac sen-
tentia Bernard. lib. 5. de considerat. ad Eugen. post
medium vbi solam vnitatem trium personarum in
diuina essentia dicit superare hanc vnionem, sed
Durandus illum explicat de dignitate vnionis pro-
pter perfectionem personæ, non propter perfectio-
nem vinculi & coniunctionis. Sed Bernardus aper-
te de coniunctione loquitur, ideo enim dicit vni-
tatem Trinitatis esse maiorem, non quia natura di-
uina dignior est, sed quia personæ sunt ipsa natura.
Et hanc vnionem probat esse maiorem cæteris,
non quia persona Verbi dignior est, sed quia est
maximè vna, & simplex. Citari etiam potest Leo
Pap. serm. 17. de passione Domini. Vbi tamen so-
lum habet hæc verba. In tantam vnitatem, Dei & ho-
minis natura conuenit, vt nec supplicio poterit dirimi,
nec morte desungi. His tamen verbis tacite indicat,
hanc vnionem maiorem esse vnione animæ & cor-
poris, quæ morte dissolui potuit, quo argumento
frequenter vtuntur Theologi, & quatenus non vi-
deatur omnino vrgens, quia id fieri potuit ex omni-
potente voluntate Dei, quamuis vnio in se non esset
maxima, Et interdum fieri potest, vt vnio dissol-
ui non possit, quia forma caret contratio actiuo,
quam.

Vnio hypostatica in-
tione vni-
nis omnium
maxima.
D. Thom.
Palud.
Capreol.
Scot.

Bonau.
Alens.
Mar.

Leo Pap.

quamuis vnio in se non sit maior, vt vnio caloris cum suo subiecto non est minor, quam vnio alterius accidentis, licet propter oppositionem contrarij facilius dissolatur eius vnio. Nihilominus non est contemnenda illa ratio, quia cum alijs coniuncta, potest ad excellentiam huius vnionis explicandam conferre, praesertim hoc modo explicata, quod haec vnio, quia est superioris, & excellentioris ordinis, requirit infinitam virtutem, & influxum causae agentis adeo perfectum, vt a nullo alio vinci, aut superari possit, & hinc sit, vt non habeat formam contrariam, aut repugnantem sibi, per quam dissolui possit, atq; adeo, vt natura sua, & non solum ex beneplacito Dei sit indissolubilis, & perpetua, quod multum refert ad perfectionem vnionis, vt sic. Potest etiam pro hac sententia citari Cyrill. lib. de Incarnat. Vnigenit. cap. 7. vbi hanc vnionem praefert vnioni animae & corporis, quamquam non de propria ratione vnionis, sed de eminentia, & supernaturali modo eius loqui videtur. Ratio vero potest esse, quia illud compositum, quod resultat ex hac vnione, est magis vnum, quam omne aliud compositum ex rebus realiter distinctis, ergo & vnio est maxima, consequentia patet ex dictis, & antecedens declaratur, quia in primis illud est magis vnum, quam omne compositum ex substantiis, & accidente, quia illud tantum est vnum per accidens, terminus vero resultans ex hac vnione est vnus per se. Deinde hic terminus est, quid simplicius seu minus compositum, quam omne aliud compositum, substantiale ex rebus distinctis cuiusmodi est vel natura consistens ex materia, & forma, vel totum consistens ex partibus integralibus & de hoc posteriori non videtur posse esse dubium, quia compositum ex partibus integralibus, vel est quantitatiua, vel valde similis illi, vnde non fit sine aliquo medio vniente extrema, & quodammodo includit quandam infinitam compositionem partium, quae tantum copulantur secundum aliquem extremum terminum, & non secundum se totas. De priori vero, scilicet natura composita ex materia, & forma, ita declaratur, primo quia tam materia, quam forma est minus simplex, quam Verbum diuinum, & actus minus perfectus, at vero actus, quo perfectior, & simplicior, eo potest perfectius, & intimius coniungi alteri extremo, & ceteris paribus maior vnitas, & simplicitas componentis confert sine dubio ad maiorem vnitatem compositi. Secundo vnitas suppositi, quae resultat ex compositione naturae cum substantia, ex suo genere maior est, quam vnitas, quae resultat ex materia, & forma, cuius signum est tum quod illa vnitas, & compositio suppositi, reperitur etiam in angelis, tum etiam quod illa compositio in rebus creatis tantum est ex re, & modo intrinseco, quae ex suo genere minor est, quam ex rebus distinctis: at vero haec vnio pertinet ad compositionem ex natura & substantia, ergo ex hac parte etiam est maior. Quod etiam ex eo declarari potest, quia cum substantia creata tantum sit modus naturae, diuina substantia tam intime copulatur illi naturae, vt impediatur illum modum, & quodammodo vicem eius suppleat, vt dictum est. Et confirmari potest ex locutionibus, quae ex hac vnione sequuntur, nam per eam factum est, vt Verbum sit homo proprie, ac substantialiter, quod in nulla alia vnione simile reperitur, illud enim, quod Auerrois tribui solet, *Ex intellectu, & intelligibili fieri maxime vnum, quia intellectus sit ipsum intelligibile*, magis per metaphoram, quam ex re ipsa & veritate dictum est: hic autem verisimile, & propriissime Verbum factum est homo per intimam humanitatis coniunctionem.

Et ex his aperte concluditur vnionem duarum naturarum in persona Verbi esse maximam omnium inter omnes vniones duarum rerum in aliquo ter-

tio. Probatur ex dictis, quia illud vnum, in quo vniuntur istae naturae, est in se maxime vnum, & indissolubile, & alteri naturae non solum vnitur: sed est vnum cum ipsa, alteri vero maxime vnitur, vt ostensum est, ergo.

Ad fundamenta Durand. facile respondetur. Ad primum nego vnitatem essentiae compositae ex materia, & forma, esse maiorem vnitate personae formaliter, ac praecise loquendo, quod ideo addo, quia, si sumatur vnitas, vel compositio personae, quatenus supponit, vel interdum includit compositionem naturae, sic potest dici quodammodo minus, quia includit in se plures compositiones: sic autem non recte fit comparatio, vt per se constat, si autem praecise fiat, ostensum est compositionem personae, vt sic esse maiorem, seu e conuerso vnitatem inde resultantem esse maiorem.

Ad secundum respondetur. In primis illud esse posse accidentarium, nam quod extrema separata non possint conseruari, potest esse ex imperfectione eorum, & mutua dependentia, non vero ex maiori vnione. Fortasse enim magis potest conseruari vna pars integralis separata ab alia, quam sine vltima dispositione sua, & tamen inde non fit maiorem vnionem intercedere inter substantiam, & dispositionem accidentalem, quam inter partes substantiales inter se, & deinde non constat, materiam, & formam posse consistere dissoluta vnione materia enim, si ab vna forma separatur, indiget alia, vt permaneat in esse & in hoc par est ratio de humanitate, nam si separatur a Verbo, indiget alia substantia, vt consistat, forma vero separata a materia naturaliter conseruari non potest, nisi sola rationalis, cui hoc singulare est, quia est forma subsistens. Et ita etiam est singulare in Verbo diuino: vt licet sit vnitum humanitati, habeat nihilominus substantiam omnino ab illa independentem, quod non refert, vt propterea vnio minus perfecta censenda sit, sicut anima rationalis non minus perfecte vnitur materiae, quam aliae formae, quamuis separata consistere possit.

Ad tertium respondetur, inter materiam, & formam esse maiorem proportionem naturalem, quam respicit naturalis vnio; at vero humanitas habet proportionem obedientialem respectu substantiae Verbi, quam respicit supernaturalis vnio quae altioris ordinis est, & hoc sufficit, vt vnio possit esse maior.

Ad vltimum, partim responsum est, partim dicitur, compositionem creatam ex humanitate, & substantia propria, ex ea parte, qua extrema non distinguuntur omnino realiter, sed tanquam res & modus, includere quandam identitatem inter extrema, & quoad hoc non debere, nec posse comparari cum hac vnione, quia vt sic non est vnio, sed vnitas, & propterea dixi hanc comparisonem debere fieri cum vnionibus ex reb. distinctis, quatenus vero illa substantia creata est quidam modus distinctus a propria natura, sic excedit in simplicitate, & vnitate, & in aptitudine, seu potius virtute terminandi quamcumque naturam, tam propriam, quam alienam, a substantia Verbi, quae infinite perfecta est, tam in genere substantiae, quam in ratione actus purissimi, & ex hac parte superat hanc vnio etiam ipsam compositionem ex natura, & substantia creata, sicut vnio formae substantialis ad materiam ex ea parte, qua substantialis est, superat vnionem modi accidentalis, verbi gratia, sessionis cum subiecto suo, quamuis in ratione realitatis identitatis maior possit esse vnitas inter modum, & subiectum, quam sit inter materiam & formam. Solet vero hic inquiri, cum qua naturali vnione seu compositione vnio haec maiorem similitudinem habeat. Sed de hac re sufficiunt dicta superius disputatione praecedenti, in solutione obiectionis contra primum dictum.

Virum vnio Incarnationis in genere entis, seu doni à Deo collati sit omnium maxima.

Obiect. In hoc dubio vnum est, de quo à nemine dubitatur, nec dubitari potest, videlicet terminum ad quem resultat per hanc vnionem esse rem perfectiorem quacumque alia creata, est enim hic terminus (vt supra ostendimus) hic homo Christus, cōstans ex persona Verbi, & humanitate includit ergo in se infinitam perfectionem Verbi, superat ergo omnia alia, quæ finita sunt. Dices hoc argumento probaretur hunc terminum esse tam perfectum, sicut Verbum ipsum secundum se, atque adeo sicut Patrem ipsum, vel Spiritum sanctum, quod videtur contra Verba Christi Ioann. 14. dicentis, *Pater maior me est*, vbi loquitur de se ipso, vt homine, atque adeo, vt termino huius vnionis. Respondetur, si in hoc termino consideretur totum id, quod includit, verum est, esse simpliciter infinite perfectum, quia includit totam perfectionem Verbi, & humanitatis, sicut omne compositum includit totam perfectionem componentium, si autem hic terminus consideretur formaliter, ac præcise, vt constituitur per humanitatem, sic dicitur minor Patri.

Respon. Quod ergo in quæstionem venire potest, solum est, an considerando id, quod per hanc vnionem confertur humanæ naturæ, illud sit maius, & excellentius quocunque alio ente creato, vel quocunque dono Dei. Durandus enim in 3. distinct. 2. quæst. 1. dicit perfectiorem esse, & digniorem vnionem beatitudinis, atque adeo esse excellentius Dei donum, quia reddit formaliter beatum, & explet omne desiderium. Idem Richardus ibi artic. 2. quæstione vltima ad fin. Gabr. distinct. 1. quæst. 2. artic. 3. dubit. 4. ad secundum videtur sentire hanc gratiam vnionis pertinere ad maiorem dignitatem, tamen quæst. 2. artic. 2. ad secundum ad finem in contrariam partem inclinat. Idem Marfil. quæst. 3. artic. 2. ad secundum; Scotus vero distinct. 2. quæst. 1. dicit hanc vnionem esse perfectiorem in ratione actus primi, illam vero, quæ est in visione beata, esse perfectiorem per modum actus secundi, simpliciter vero negat esse comparabiles, quia sunt diuersarum rationum. Sed cum ratione doni, & perfectionis conueniant, in ea comparari poterunt, imo non solum cum perfectione visionis: sed etiam cum perfectione gratiæ habitualis potest hæc vnio comparari. Et potest fundari hoc modo hæc opinio, quia per hanc vnionem duo possunt intelligi conferri humanitati, scilicet modus ille creatus, qui fit in humanitate, & persona Verbi (omitto enim prædicamentalem relationem vnionis, hæc enim & paruum perfectionem affert, & ex suo fundamento iudicanda est) modus autem vnionis videtur in se esse quid valde imperfectum, quia realiter, seu identice est idem cum ipsa humanitate, & ita ex hac parte non videtur excedere ordinem naturæ in entitate sua, imo videtur esse quid minus perfectum, quam ipsa substantia humanitatis, gratia vero, vel visio beata est res omnino supernaturalis in entitate, & substantia sua, tamen sicut persona Verbi donatur aliquo modo humanitati per hanc vnionem, ita persona Spiritus sancti, & tota Trinitas donatur homini per gratiam, ergo in hoc æquales sunt, omnibus ergo pensatis, perfectior, vel dignior videtur illa vnio. Et confirmatur primo, quia donum communicabile indifferenter naturis rationalibus, & irrationalibus, minoris excellentiæ, & dignitatis esse videtur, quam donum, quod solis rationalibus creaturis communicari potest, sed hæc vnio est prioris generis, vt patet infra quæstione quarta, visio autem beata, & etiam gratia habitualis est posterioris generis, ergo,

A Secundo confirmatur, quia gratia habitualis sanctificat animam, & visio Dei replet omne gaudium. Ac denique ipse amor Dei ad summum bonum animæ præferendum cuius alij, ergo non videtur hæc vnio cum his omnibus bonis comparanda, nec præ illis eligenda. Tercio confirmatur, quia per mysterium Eucharistiæ confert nobis Deus ipsummet Christum, qui est infinitum bonum, ergo ex hac parte non minus beneficium, seu donum est, quam ipsa incarnatio, aliunde vero superat, quia non vni tantum humanitati, sed omnibus datur, & non semel tantum, sed sæpissime, ergo, &c.

B Nihilominus dicendum est cum communi sententia, hanc vnionem esse supremum ad perfectissimum opus gratiæ per quod DEVS communicat creaturæ aliquid excellentius, & melius, quam per omnem aliam actionem communicet. Hæc est sententia Diui Thomæ artic. sequenti, ad 1. artic. 1. in corpore, & infra quæst. 4. artic. 1. ad 2. vbi tenet Caietanus, & alij. Idem supposuit D. Thomas, supra quæst. 1. artic. 1. vbi late explicuimus, quomodo communicatio bonitatis diuinæ fit maior in hoc opere, quam in omni alio, quod idem fere docet Albertus, Henricus in 3. distinct. 2. & Bonauentura ibi artic. 1. quæst. 2. in prioribus argumentis, quorum conclusionem postea concedit. Idem sumitur ex Alezan. Alen. 3. p. quæst. 11. & 12. artic. 1. membr. 1. & ex Henrico quodlib. 6. q. 6. & quodlib. 13. quæst. 5. & alij auctores infra citandi, qui negant gratiam vnionis posse communicari creaturæ irrationali, hanc sententiam tanquam manifestam supponunt. Denique Scotus hoc tandem docuit in 4. distinct. 49. qu. 2. s. ad istam secundam quæst. Et probari primo potest ex Augustino lib. 13. de Trinit. c. 9. & 13. dicente, Deum factum esse participem nostræ mortalitatis, vt nobis, persuaderet futuros participes immortalitatis eius & gloriæ, & ideo Ioannem Euangelistam, c. 1. cum dixisset, *Dedit ei potestatem filius Dei fieri*, statim addidisse, *Et verbum caro factum est*, vt ab eo quod maius est, suaderet quod incredibile videbatur. Itaque censet multo maiorem esse gratiam, Deum fieri hominem, quam homines per gratiam adoptionis fieri Dei filios, & hæredes, quo argumento fere vsus est Paulus ad Rom. 8. dicens, *Qui proprio filio suo non pepercit, quomodo cum illo non omnia nobis donabit?* eodem modo loquitur Augustinus tractat. 2. in Ioann. & ideo lib. de prædestinat. sanct. ca. 15. hanc gratiam vnionis vocat, *Excellentissimam, tantamque naturæ humanæ subiectionem, vt quo alius attolleretur, non haberet.* Idem sumi potest ex Chrysost. homil. 10. in Ioann. Ratione breuiter claratur primo, quia, si consideremus omnia, quæ in hac vnione interueniunt, non tantum collatum est humanitati aliquod donum creatum, sed ipsamet persona increata filii Dei, quæ est infinitum bonum. Nec vero cum hoc dono conferri potest, quod ipsis iustis datur per gratiam ipsa persona Spiritus sancti, aut Beatis ipsa essentia diuina, quia in illis vnionibus accidentalibus non datur ipse Deus, vt per se ipsum quasi formaliter perficiat, vel aduet, seu terminet ipsum esse creaturæ suæ, neque vt cum illa vnio ens vere componat: sed dicitur dari speciali modo, quia singulari ratione censetur esse præsens, aut per modum obiecti, aut per modum principii supernaturaliter efficientis, & perficientis animam, aut certe secundum quandam præsentiam, vel vnionem ex speciali amicitia perfectam. At vero per hanc vnionem ipsamet persona Verbi per se se coniungitur humanitati, illamque perficit, & terminat dependentiam eius. Ac denique cum illa vniam substantiam vere, ac inessabiliter componit, quando ergo maior est persona diuina, quam eius participatio, & filiatio naturalis, quam adoptiua, tanto donum collatum per hanc vnionem coniuncta alia videtur superare. Quod argumentum totum fundamentum habet in Paulo ad Hebr. 1. dicente de Christo, *Tanto me-*

Vnio hypostatica personæ dei cum opus gratiæ & donum Dei excellentissimū, D. Th. m. Albert. Bonauent. Alen. Henricus

Scot.

Aug.

Ioan. 1.

Roman. 8.

Aug.

Chrysost.

Diffinitio vnionis hypostaticæ, & beatitudinis per gratiam,

Hebr. 1.

lior

hior Angelis effectus, quanto differentius pra illis nomen ha- A
reditant, & infra id confirmat ex illo Psal. 44. Dilexi
iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus,
Deus tuus oleo laetitiae pra participibus tuis, quæ de Chri-
sto Deo & homine, intelliguntur, in quo humanitas
diuinitate vncta est, vt sancti exponunt, quos infra
questione 78. & 15. afferemus. Quod à figao confir-
mari potest, tum quia humanæ naturæ ratione hu-
ius vnionis debetur maior reuerentia, & honor, quā
debeatur illi personæ creatæ propter quamcunque
excellentiā gratiæ, aut gloriæ, ergo signum est
hanc dignitatem esse maiorem, sicut colligere
videtur Paul. ad Hebræ. 1. cum ait, & adorent eum o-
mnes Angeli eius, tum etiam quia ipsi humanitati ra-
tione huius vnionis debetur omnis excellentia gra-
tiæ & gloriæ, & vt sit prorsus impeccabilis, vt infra B
dicetur, nonnullum etiam signum est, quod hoc ho-
num, quo est præstantius, eo est rariis, vnde soli vni
naturæ communicatum est. Secundo confirmatur,
seu explicatur ex eplo, quia sicut corpus humanum
per substantialem coniunctionem cum anima rati-
ionali, efficitur veluti organum coniunctum illius,
& participat quodammodo spiritualem & rationa-
lem perfectionem eius qui status est maior perfectio
corporis quam omnis alia creatæ: ita humanitas per
hanc vnionem substantialem fit vere, ac proprie na-
tura ipsius Verbi diuini, & instrumentum coniun-
ctum illius, & ideo illi debitum est, vt participet per-
fectiones ipsius Verbi, & vt ab illo dirigatur, & gu-
bernetur tanquam à propria hypostasi, est ergo hoc
bonum sine vlla comparatione, maior perfectio il-
lius humanitatis, quam omnis alia perfectio creatæ
aut creabilis, ergo.

Secundo, si consideremus ipsum modum vnio-
nis, in primis excedit in hoc omnia alia entia creatæ,
quod est in altiori ordine rerum, quam reliqua om-
nia: sicut enim gratia quamuis comparata ad sub-
stantiam animæ, sit fortasse in esse physico, & in en-
titate minus perfecta, quia est accidens, anima verò
substantia, tamen secundum gradum, vel ordinem
rerum, constituitur in altiori ordine diuino, quia est
quædam participatio diuinitatis eiusque perfectio-
num, seu operationum: eo modo, quo sunt propriæ
Dei, & non possunt esse connaturales substantiæ cre-
atæ: ita hæc vnio licet in se tantum sit quidam mo-
dus creatus, tamen quatenus attingit Deum ipsum
in se, & illi intime, & substantialiter coniungit natu-
ram creatam, & facit vt ille qui est verus homo, sit
etiam verus Deus, non per participationem, sed per-
sonaliter, & per essentiam, hæc ratione pertinet ad
quendam altiorem ordinem rerum, quam sit ordo
naturæ, vel gratiæ adoptionis, cuius signum etiam
est, quia hæc vnio non debetur naturæ, nec secun-
dum se, neque etiam vt habenti gratiam creatam
quantumcunque perfectam, at vero gratia habitualis,
& beatitudo ipsa, licet non debeatur naturæ secun-
dum se, debetur tamen naturæ, vt habenti hunc mo-
dum vnionis ad Verbum. Et hoc docuit optime D.
Tho. infra q. 7. artic. 13. ad 3. vbi dicit, gratiam vnio-
nis non esse in genere gratiæ habitualis, sed esse su-
pra omne genus, sicut ipsa diuina persona, quod fa-
tis est, vt illa vnio sit excellentius donum Dei quam
omne aliud creatum, quāuis fortasse in entitate sua
non excedat ipsam substantiam humanitatis, sicut
etiam donum sanctificationis per gratiam, est maius
quam ipsa creatio substantiæ, quamuis fortasse ipsa
entitas gratiæ physice non sit perfectior, quia excel-
lentiā horum donorum, magis pensanda est ex mo-
do, quo per illa Deus ipse communicatur, quam ex
physica tantum entitate. Et confirmatur, quia hic
modus non solum est supernaturalis, vt supra osten-
dimus, verum etiam est maius opus Dei, quam opus
creationis, vel glorificationis, quia, vt supra q. 1. late
dictum est, diuina omnipotentia atq; alia attributa,
in illo magis ostenduntur.

Et ex his facile est fundamentis contrariæ senten-
tiæ respondere, quoad principale enim fundamen-
tum iam declaratum est, quomodo Incarnatio, tam
ratione vnionis, quam Verbi vniti, excedat omnia
alia dona Dei. Vnde solum addendum est, hunc
modum vnionis simpliciter dicendum esse superna-
turale, multo magis quā gratiam, vel visionem bea-
tam, quia multo minus potest esse cōnaturalis crea-
turæ, & altiori modo coniungit illam Deo, supra to-
tum debitum illius, ac denique magis in eo agitur
supra omnes leges naturæ. Nec refert quod hic mo-
dus non sit entitas distincta omnino realiter à sub-
stantia humanitatis, satis enim est, totum illud esse,
quod habet, vt est modus, esse omnino supernatura-
le, non tantum quia supernaturaliter fit, sed quia in
se est, quid supernaturale. Quod vero gratia aut vi-
sio habeant proprias entitates supernaturales distin-
ctas omnino ab entitate substantiæ, non arguit in eis
maiorem supernaturalitatem, sed in hoc modo ma-
iorem quandam perfectionem, quia non pertinet ad
modum accidentis, sed substantiæ. Et inde etiam
colligi potest, hunc modum esse magis supernatura-
lem: imo constitui (vt ita dicam) in supremo gradu
supernaturalitatis, substantia enim omnino super-
naturalis, si esset possibilis, altior esset, quam acci-
dens supernaturale, quia vero talis substantia om-
nino creatæ esse nō potuit, solum mediante hoc mo-
do vnionis potuit aliquo modo constitui, illa enim
substantia composita ex Verbo & humanitate ma-
xime supernaturalis censenda est.

Ad primam confirmationem negatur assumptū, A d. 1. com-
ratio enim substantiæ perfectior est, quam ratio sen-
sibilis, quamuis illa communicari possit inanima-
tis, hæc vero solis animantibus, imo ex illa ratione
sequeretur maiorem perfectionem esse habere sen-
sum, quam sit vnio hypostatica, quia hæc commu-
nicari potest lapidi, illa vero non. Illud ergo, vt Ca-
rieranus notauit, ad summum procedit in perfectio-
nibus connaturalibus, quæ oriuntur ex propriis re-
rum principiis, imo addendum est, oportere vt sint
perfectiones eiusdem ordinis, & maxime in iis quæ
non sunt perfectiones simpliciter, sed includunt im-
perfectionem generaliter autem loquendo, sepe
vniuersalior perfectio est maior ex suo genere, quia
est simpliciter simplex: ita vero est in proposito,
quia constitutio suppositi est perfectio simpliciter,
& substantialis, & ideo ex suo genere maior est, licet
possit pluribus rebus communicari, quam visio, quæ
accidentalis perfectio est. Concedi tamen potest
visionem ex ea parte, quæ est actus vitæ actusque se-
cundus quoad modum esse secundum quid magis
perfectam, quam vnio hypostatica, per se sumpta, &
ex hac parte solum posse communicari creaturæ ra-
tionali, sicut nutritio simpliciter non est perfecti-
or, quam ratio substantiæ vel suppositi, & tamen
propter modum non potest esse nisi à principio
vitæ.

Ad secundam confirmationem respondetur pos-
se potius retorqueri in confirmationem veritatis, A d. 2. con-
quia per hanc vnionem excellentiori modo sancti-
ficatur anima, & Deificatur, quam per omne aliud
donum creatum, imo non solum anima, sed etiam
corpus, quæ est alia excellentia huius vnionis, quæ
animam, & carnem immediate coniungit Deo, vnde
sine dubio est bonum præ omnibus eligendum.
Quod vero ex illa præcise non sequatur gaudium,
nisi media aliqua cognitione, hoc pertinet ad exces-
sum secundum quid, quia prouenit ex modo vita-
liter operandi. Et hinc etiam posset obiter solui di-
ctum Augustini, quod hic afferri solet, quod Mater
Dei felicitior fuit concipiendo mentem quam ventrem, non est
enim comparabilis illa conceptio, cum hac vnione,
quia non fuit ita formaliter sanctificata, & Deificata
Beata Virgo per conceptionem corporalem filij Dei,
sicut

Solutio ad
gumentum.

Augustinus.

sicut ipsa humanitas per vnionem, quamquam dictum illud suam habeat intelligentiam, infra suo loco tractandam. Et hinc ad vltimam confirmationem dicitur, nullam esse comparationem sumptam ex mysterio Eucharistiae, quia ibi non datur Christus secundum vnionem personalem, sed solum secundum quandam realem praesentiam, & vnionem accidentalem ad effectus gratiae creatae & accidentalis ordinatam.

ARTICVLVS X.

an vnio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam.

16.
In q. 6 a. 6.
Et vbi q. 29.
ar. 2. Et 3. d.
13 q. 3. ar. 7.
P. sec. q. 110.
ar. 2. Et 3. 1.

Art. 9 huius
quaest.

c. 15. ante
med. i. m. 7.

3 d. 13 q. a. 1.
1. 2 q. 110 a. 1.

3 d. 4 q. 3 ar.
2 q. 2 Et
col. 2 le. 2.
col. 3.



Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod vnio Incarnationis non sit facta per gratiam. Gratia enim est accedens quoddam: vt in secunda parte habitum est*. Sed humanae naturae vnio ad diuinam, non est facta per accedens: vt supra ostensum. 4. Ergo videtur quod vnio Incarnationis non sit facta per gratiam.

1. Praeterea, Gratia subiectum est anima: Sed sicut dicitur Col. 2. in Christo inhabitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: ergo videtur quod illa vnio non sit facta per gratiam.

3. Praeterea, Quilibet Sanctus Deo vnitur per gratiam. Si igitur vnio Incarnationis fuit per gratiam, videtur quod non aliter dicatur Christus esse Deus, quam alij Sancti homines.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in lib. 2. de Prad. Sanctorum, Ea gratia sit ab initio fidei sue homo quicumque, Christianus, qui gratia homo ille ab initio factus est Christus: Sed homo ille factus est Christus per vnionem ad diuinam naturam. Ergo vnio illa fuit per gratiam.

Respondendo dicendum, quod sicut in secunda parte dictum est*, gratia dupliciter dicitur. Vno modo ipsa voluntas Dei gratis aliquid dantis: Alio modo ipsum gratuitum donum Dei. Indiget autem humana natura gratuita Dei voluntate ad hoc, quod eleuetur in Deum cum hoc sit supra facultatem suae naturae. Eleuatur autem humana natura in Deum dupliciter. Vno modo per operationem, qua scilicet Sancti cognoscunt & amant Deum. Alio modo per esse personale. Qui quidem modus est singularis Christo: in quo humana natura assumpta est ad hoc, quod sit in persona filij Dei. Manifestum est autem quod ad perfectionem operationis requiritur, quod potentia sit perfecta per habitum: sed quod natura habeat esse in supposito suo, non sit mediante aliquo habitu.

Sic ergo dicendum est, quod si gratia accipitur ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum seu acceptum aliquem habens, vnio Incarnationis facta est, per gratiam: sicut & vnio Sanctorum, ad Deum per cognitionem & amorem. Si vero gratia dicatur ipsum gratuitum Dei donum, sic ipsum quod est humanam naturam, esse vnitam personae diuinae, & potest dici quaedam gratia, in quantum nullis precedentibus meritis hoc est factum, non autem ita quod sit aliqua gratia habitualis, qua mediante talis vnio fiat.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia, quae est accedens, est quaedam similitudo diuinitatis participata in homine. Per Incarnationem autem, humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam diuinae naturae, sed dicitur esse coniuncta ipsi diuinae naturae in persona filij: Maius autem est ipsa res, quam similitudo eius participata.

Ad secundum dicendum, quod gratia habitualis est solum in anima: Sed gratia, id est, gratuitum Dei donum quod est vniri diuinae personae, pertinet ad totam naturam humanam, quae compositur ex anima & corpore. Et per hunc modum dicitur plenitudo diuinitatis in Christo corpore

aliter habitasse: quia est vnita diuina natura non solum animae, sed etiam corpori: Quamuis etiam possit dici, quod dicitur habitasse in Christo corporaliter, id est non vmbrales sicut habitauit in sacramentis veteris legis, de quibus ibidem subditur, quod sunt vmbra futurorum: corpus autem est Christus: prout scilicet corpus contra vmbralem diuiditur. Diuinitas etiam quidam, quod diuinitas dicitur in Christo habitasse corporaliter, id est, tribus modis: sicut corpus habet tres dimensiones. Vno modo, per essentiam, praesentiam, & potentiam: Alio modo, per gratiam gratum facientem: sicut in sanctis: Tertio modo, per vnionem personalem: quod est proprium sibi.

Vnde patet responsio ad tertium: quia scilicet vnio Incarnationis non est facta solum per gratiam habitalem, sicut alij sancti vnuntur Deo, sed secundum subsistentiam suae personae.

COMMENTARIVS.



Explicit haecenus D. Tho. perfectio nem essentiali huius vnionis, & veluti physicam naturam eius. In his autem tribus vltimis articulis docet, quid sit haec vnio in genere gratiae, seu quomodo sit hoc opus gratiae gratuito collatae humanae naturae, & obiter declarat nonnullas causas, praeterim extrinsecas incarnationis. Ad intelligendum ergo titulum praesentis articuli aduertendum est, tribus modis posse existimari hanc vnionem factam esse per gratiam, scilicet effectiue, dispositiue, & formaliter, alia enim genera causarum in praesenti locum non habent, vt per se constat. Rursus gratiam distinguit D. Tho. in corpore articuli vno modo significare gratuitam Dei voluntatem, alio vero quodlibet gratuitum donum Dei. Vnde fit etiam, vt haec gratia in increatam, & creatam distinguatur, & iuxta varias significaciones, variegationes, sub hoc vno titulo comprehendendi possint, quas omnes videtur D. Thom. complexus, omnibus enim illis satisfaci.

b Dicit ergo primo, hanc vnionem esse per gratiam, quae est gratuita Dei voluntas, quia est supra facultatem totius naturae, & supra omnia merita, in qua conclusione assignat causam efficientem, quam dicit esse solam diuinam voluntatem, non vt curat operantem, sed vt eleuantem naturam, supra totum debitum, & meritum sui, sub qua ratione voluntas, gratia vocatur, & in hoc genere causae dici potest vnio haec facta per gratiam increatam.

Dicit secundo, non esse factam hanc vnionem per aliquam gratiam habitalem, & inhaerentem ipsi humanitati. Ratio est, quia haec vnio non est aliqua operatio, sed est communicatio ipsius esse personalis filij Dei: at vero gratia habitualis ordinatur ad operationem: ergo. In qua conclusione intendit D. Tho. excludere hanc gratiam, quo ad omne genus causae, pro certo n. supponit, non posse esse formalem, quia est accedens, quod supra etiam disputatione sexta probatum est quod vero non sit efficiens, vel disponens, optime probat ratione adducta, quia habitus solum ad operationem disponit, & solam illam efficit. Et confirmat hoc, argumento proportionali, nam in nobis natura non est in supposito suo, medio aliquo habitu, ergo nec in Christo. Quod argumentum videri potest non omnino efficax, quia haec vnio in Christo non fit eodem prorsus modo, ac in nobis. Sed quomodo in hoc tenet proportio in sequenti disputatione latius ostendemus. Vltimo est in hac conclusione aduertendum, quamuis D. Tho. specialiter locutus fuerit de gratia habituali, sub ea tamen comprehendisse non solum habitum existentem in essentia animae, sed etiam habitus potentiarum, imo addo extendi hoc debere ad actus, & ad omne auxilium creatum ad operationem ordinatum, de his enim